

550

*Acta Apostolicae Sedis - Commentarium Officiale***ACTA OFFICIORUM****PONTIFICIA COMMISSIO
AD REDIGENDUM CODICEM JURIS CANONICI ORIENTALIS**

INTERPRETATIO AUTHENTICA CAN. 215, § 2 E LITTERIS APOSTOLICIS MOTU PRO-
PRIO DATIS « CLERI SANCTITATI » (II MENSE IUNIO ANNO MDCCCCLVII).

RESPONSUM AD PROPOSITUM DUBIUM

D. An, vi can. 215 § 2 « Licet caractere episcopali careant (Legati),
praecedunt tamen omnibus Hierarchis, qui non sint cardinalitia digni-
tate insigniti », iidem Legati praecedant Patriarchis.

R. *Negative*, cum nomine *Hierarchae* non veniat Patriarcha, ad nor-
mam Litterarum Apostolicarum « Postquam Apostolicis Litteris » diei
9 Februarii anni 1952, can. 306 §§ 2, 4.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia Pp. XII di-
gnatus est specialem normam ab hac Pontificia Commissione propositam,
inserendam in can. 215 § 2, approbare atque ut eadem norma in exe-
cutionem illico deducatur iubere.

Norma autem haec est: « Licet caractere episcopali careant, prae-
cedunt tamen omnibus Hierarchis qui non sint cardinalitia dignitate
insigniti, aut patriarchali, dummodo Patriarcha in proprio territorio
degat et caeremoniis vel officiis proprii ritus praesit; sed hoc quoque in
casu, Legati Patriarchis praecedunt si explicitum mandatum cum prae-
cedentia pro particularibus actibus iis a Summo Pontifice commissum
fuerit ».

Datum Roma, die 23, m. Iunio, anno 1958.

De speciali mandato Sanctissimi
GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN, *Praeses*

L. ✠ S.

A. Coussa, *a Secretis*